

II.

Kanonistisches Briefgutachten eines Reimser Erzbischofs des 10. Jahrhunderts

Codex Wien, Österreichische Nationalbibliothek 2213 (s. XII^{ex}), fol. 86^v.

Strictim breviterque ex divino atque humano adnotamus iure, per quod inquisitioni vestre satisfacere possit:

In Remensi concilio tempore domni Fulconis, nostri predecessoris¹, habito IIII. capitulo ita decretum est de² sacerdotibus et levitis et monachis interfectis: Si quis sacerdotem et levitam aut monachum interfecerit, iuxta statuta priorum canonum emendet et ecclesiastice penitentie subditus a cetu ecclesie segregatus anathemate plectatur usque ad satisfactionis plenitudinem, et cetera.

Item de eadem re in concilio auctoritate Zacharie pape convocato, presente³ Karolo magno rege, Pipini regis fratre, sancto quoque Bonifacio archiepiscopo Maguntiacensi presidente, ut ad locum ventum est, ita diffinitum et statutum^a est: Si quis ministros ecclesie, id est subdiaconum, lectorem, exorcistam, acolitum, hostiarium iniuriaverit aut percusserit vel plagaverit, triplici censura reus puniatur vel efficiatur^b.

Interfector etiam presbiterorum, sicut in sinodo beato Bonifacio presidente, consentientibus⁴ episcopis, omnibus etiam nobilibus regni Francorum, decretum est: Ut si quis talis, quod minime credimus, invenitur in occisione presbiteri vel debilitatione ministrorum dei, cingulum militare nullomodo habere presumat, sed in monasterio trusus arte penitentie penas luat et nullo modo coniugio copuletur et sacra communione privatus in fine^c mortis tantum viatico salutis fruatur, et CETERA.

a) statum Hs. b) afficiatur Hs. c) finem Hs.

1) Zum Autor des Briefgutachtens vgl. oben S. 499 f.

2) Von de bis consecratos (S. 505 Z. 3) Übernahme aus den Akten jener Reimser Provinzialsynode unter Erzbischof Fulco, die oben S. 501-503 ediert ist. Zu den in diesem Text verarbeiteten Quellen vgl. dort.

3) Zu diesem Einschub vgl. oben S. 495 f.

4) Zu diesem Einschub vgl. oben S. 496.